







1759.

1. Behr, Joannes Gottliebicus: *De studio litterarum castrorum
sitibus apud veteres Romanos. tractus. accort. oratio
Tr. Christophori Grameri, qua explicat Horatii locum
lib. I. epist. 1. v. 33 - 35.*
- 2^a Buderus, Christianus Gualt.: *De dote et oratione filia-
rum illustrium et nobilium morialium. 2 Sept.
M. 1759.*
3. Vietmarus, Dr. Wilhelmus, Fac. jur. Decanus: *Programma:
De loco honorarii ministrorum in concursu creditorum,
inang. Disputationi: Christophori Conradi W. electum
Friderici . . . praemissum.*
4. Vietmarus, Dr. Wilhelmus: *De juribus civitatum Imperio-
rum praesertim de juribus et privilegiis libera-
Imperiali civitatis Augustae Vindelicorum.*
5. Vietmarus, Dr. Wilhelmus, Fac. jur. portecanus: *Program-
ma: De coheredis institutione in codicillis
facta valida, inang. Disputationi Joannis Thomeae
Aitheri . . . praemissum*

1757.

6. Vietmarus, Jo. Wilhelmus, Fa. jur. profecanus: Program-
ma, de successoribus in feudis regaliibus et agnoscenda
debita a predecessoribus contracta non obligatis, in an-
juralsi Disputationis Helmici. Hermannus Nathanael Wilcke-
ni . . . praemissum

7. Engen, Jo. Rudolphus: De abolitione. 2. Sumpt

8. Falcke, Joann. Rudolphus: Utrum ab illo, si rem in
se spectemus, quae jusjurandum retatum suscipit
sivumal jusjuramentum calumniale speciale seu malitiale
origi possit?, quo Joann. Rudolphus Hellbachio
praetoris provinciae et actuarii munus
capessenti . . . gratulatur.

9. Heimbürgius, Jo. Casp.: De jure accrescendi.

10. Hellbach, Joann. Rudolphus: De usufructu legali
ex uxoris metalli fodinis ad maritum pertinente,
quo de discern. . . gratulatur

1754,

11. Heesfeld, Fr. Augustus: De diverso pignoris jure
liberis in parentum bonis impetrate.
12. Hoffmann, Franc. Ludov. : De annuo gratiae, et proce-
cipue quatenus ad heredes collaterales transferri queat.
13. Koch, Joann. Christophorus: De constitutionibus prin-
cipum
14. La Carriere, Joh. Salomon: De qualitate et quantitate
alimentorum in infantibus a prima nativitate usque
ad septimum aetatis annum convenientibus
15. Pölygus, Christaenus Fridericus: Jus devolutionis
imperatoris ex jure territoriali conveniens.
16. Schmidt, Sebastianus Ludovicus Cordus: De generibus
continentiae caussarum genuinis
17. Schmidt, Paulus Wilhelmus: De fortuna in causis
civilibus et delictis levioribus regulari, seu civile.
18. Starckelius, Franc.: De societate Grotonicuriensi littera.
via . . . oratio

1754.

19. Tittel, Carolus Augustus: De substituto vulgari per
institutum edicentem non excluso, et non adscuntem
incluso.
20. Tittel, Carolus Augustus: De exceptione sponsaliorum
clandestinorum, ab ipso contrahente, opposita.
21. Walchius, Carolus Fridericus: De philosophia Florentini
jurisconsulti. Commentatio, qua Christ. Guet. Franciscus
Walchius, patri . . . felicem . . . Discessum precatur
22. Walchius, Carolus Fridericus: De testamento pro dig
jure Germanico invalido. Commentatio, disputationum
juris civilis . . . praemissa.
23. Walchius, Carolus Fridericus: De aquae hauriendae
servitute.
24. Wiche, Carolus Fridericus: De applicatione systematicis juris
naturae ad jus gentium in connectione officiorum spect
lium perspicienda.

1754.

28. Wilcken, Helmer. Humer. Nathanael. De successione ab
intestato.

29. 4. 2. Wundulich, Joannes. De restitutione in integrum contra
prescriptionem ex capite ignorantiae non competente
2 Saemph.

30. 4. 6. Wundulich, Joannes. De evictione in donatione remunerato-
ria non praestanda. 2 Saemph.



3
ST
C A S
V

P. 527.

SC

V

IOA

EI



Ha. 14. num. 29

10

1754, 8

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO
IOANNI ADOLPHO HELLBACHIO

COLLEGAE ILLIVS BONARVM ARTIVM SOCIETATIS


QVAE
SVB VIRI PRAECLARISSIMI
IOANNIS CHRISTIANI BLASCHII

PHILOSOPHIAE MAGISTRI CELEBERRIMI ATQVE SOCIETATVM
TEVTONICAE ET LATINAE IENENSIVM
COLLEGAE HONORARII
AVSPICIO IENAE FLORET DIGNISSIMO

PRAETORIS PROVIN CIAE ET ACTVARI
MVNVS CAPESENTI
SODALIVM NOMINE GRATV LATVR
SIMVLQVE QVAESTIONEM


VTRVM
AB ILLO SI REM IN SE SPECTEMVS
QVI IVSIVRANDVM RELATVM SVSCIPIT SIMVL
IVSIVRANDVM CALVMNIAE
SPECIALE SEV MALITIAE EXIGI POSSIT

INSTITVIT
IOANNES ADOLPHVS FALCKE
IENENS. I. V. G.



I E N A E

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS, clb 18cc LIII.



1754



JOHANNES ADOLFUS HILFSCHEIDT
DOCTOR
VON HILFSCHEIDT

JOHANNES ADOLFUS HILFSCHEIDT
VON HILFSCHEIDT

JOHANNES ADOLFUS HILFSCHEIDT
VON HILFSCHEIDT

JOHANNES ADOLFUS HILFSCHEIDT
VON HILFSCHEIDT

JOHANNES ADOLFUS HILFSCHEIDT
VON HILFSCHEIDT

JOHANNES ADOLFUS HILFSCHEIDT
VON HILFSCHEIDT

JOHANNES ADOLFUS HILFSCHEIDT
VON HILFSCHEIDT

JOHANNES ADOLFUS HILFSCHEIDT
VON HILFSCHEIDT





VIR PRAENOBILISSIME
FAVOR ET AMICE AESTVMATISSIME
SODALIS CONIVNCTISSIME



Virtutem atque diligentiam, in rebus honestissimis collocatam, omni tempore magno habitas fuisse in pretio, earumque cultores maxima saepius nauatae operae praemia tulisse, exemplis fere constat innumeris. Equidem in egregio illo, quod TV VIR PRAENOBILISSIME, haud ita pridem nobis praebuisti documen-

A 2

cumen-

cumento defixus, tam iucunde propter amicitiam moueor, vt ceteris ad laetitiam nunc facile possim carere. Serenissimus enim ac clementissimus DVX SAXO GOTHANVS Serenissimi ac Clementissimi PRINCIPIS VINARIENSIS HEREDITARII tutor munificentissimus studiorum remunerator, tuam virtutis indolem, sedulitatem, ac denique exquisitam liberalium artium, quibus non leuiter tinctus es, cognitionem intuens, dignum TE iudicauit, qui duplici munere fungereris; vt scilicet ex altera parte praetoris prouincialis officium administrares; ex altera vero in extraordinario illo iudicio, cui summus ciuitatis nostrae, vt et terrae Ienensis Inspector, et aeraarii principis consiliarius, perillustis de KALB vir, et imaginum splendore et vera virtute pariter insignis, atque conspicuus praesidet, acta curares, ibique gesta in scripturam redigeres. Honoribus hisce, cum amici TVIOBTVAMERITA TE auctum atque cohonestatum conspicantur, ingenti TECUM exsultant laetitia. Praesertim vero illa litterarum elegantiorum societas, cuius TV ornamentum atque decus fuisti, hac TVA fortuna maximopere delectatur

tur. Quod, vt publice TIBI declararet, mihi gratulandi demandauit officium. O munus gratum mihiq̄ue acceptissimum! quippe quo opportuna mihi nascitur occasio, TIBI AMICE MVLTVM COLENDE, animum meum plane deuinctum tenerrimaeque amicitiae plenum libello hocce TIBI dicato significandi. Antequam tamen id fiat, liceat mihi quaestionem illam tractare; *vt, si scil. rem in se spectemus, ab eo, qui iusiurandum principale relatum praestat, simul exigı possit iusiurandum calumniae.* Ea igitur, qua par est, obseruantia rogo, vt, quae in praesenti hac de re disputaturus sum, serena accipias fronte, et qualiacumque sint, aequi bonique consulas.

§. I.

Delictum verum est factum, legi humanae poenam minitanti contrarium, dolo malo commissum.

Alii delictum contrauentionem legis vel prohibitiuae, vel praecipituae poenalis ad poenam, et si fieri possit, ad laesionis reparationem obligantem; alii factum, quod contra leges sit commissum; alii denique factum vel dolo vel culpa commissum adpellant. Equidem variis commotus rationibus ab illis delicti notionibus abstinendum esse puto. Haec vltima enim suo definito latius patet, et in omne peccatum quadrat, quod tamen adcuratio-

res Icti a delicto iure meritoque distinguunt. a) *Ill*a non minus ac haec peccata sub se complectitur, hinc inter notiones adaequatas referri vix potest. *Prima* denique eiusmodi notas enumerat, quae in ipso delicto non insunt. *Obligatio enim ad poenam et si fieri possit ad laesionis reparationem* consequens est delicto, non ipsa est delictum. Quemadmodum vero, quae alicuius sunt consequentia, illam ipsam rem, eiusque naturam non constituunt; ita quoque *obligatio ad poenam, et item hoc si fieri possit ad laesionis reparationem obligans*, non sunt notae, quae ad ipsum delictum constituendum pertinent.

Ad id iam progredior, ut datam a me in §pho definitionem cum usu loquendi convenire ostendam. Celeber. *HUBER* in *Praelect.* ad ff. b) *delictum verum definit factu turpi, quod legibus punitur.* Hanc vero definitionem, si modo eiusdem notas euoluas, cum mea plane convenire, facili negotio perspicias. Atque id liquet ex iis, quae laudatus vir definitionis illustrandae causa subiicit. Ac primum quidem *factum turpe* dicit, quo modo intelligi velit: *non quodlibet*, inquit, *factum turpe delictum est; sed ut factum in civitate pro delicto habeatur, sanctione legis opus est.* Legem autem non intelligit quamcumque, sed pressius legem civilem siue humanam; igitur non solum legem diuinam innuit. Quod ex hisce sequentibus verbis adparet: *quo pacto, si Malmesburiensis Philosophus dixisset, ex lege civili sola colligendum esse, quid fas, quid nefas, quid honestum aut scelestum sit, dum ait: quid furtum, quid homicidium et iniuria sit, id ex legibus civilibus colligendum est, eius non esset adeo intolerabilis sententia.* Eum vero sub lege civili hic loci non quamlibet intellexisse, sed angustius leges civiles *poenales*, id quidem ex ipsis definitionis verbis, et ex adposita ad ean-

a) Vide sis *ILL. ENGAV* praeceptorem meum pia mente de-
nerandum in *Elem. Iur. Crim. Lib. I. Tit. II. §. XIV.*

Adde *HUBERVM* in *Praelect.* ad ff. *Lib. XLVII. Tit. I. §. 2.*

b) *Lib. XLVII. Tit. I. §. 2.*

eandem illustratione elucet. In illa delictum vult esse factum, quod *legibus punitur*. Ergo sub legibus civilibus hic intelligit tales, quae *puniunt*, siue *poenales*. Ad alterum, quod attinet, in §. 2. ita loquitur: *Nos quidquid est turpe, semper nefarium et iniustum arbitramur τὸ γὰρ μὴ καλὸν ἔπος' ἐστὶ καλὸν, vt Euripides; sed delicti aestimatio civilis, i. e. vt aliquid in ciuitate delictum habeatur, a poena dependet. Haec tenus igitur monstratum est, HVBERVVM ad delictum requirere factum legibus humanis poenalibus contrarium, quas notas omnes in mea definitione reperies. Iam §. 5. factum turpe magis magisque explicat. Facta enim turpia, inquit, non ob culpam, sed quia dolus in illis requiritur. Itaque factum turpe intelligit, cui subest dolus. Atque hanc quoque notam mea continet definitio. Datam igitur a me delicti veri notionem vsui loquendi respondere, ex adductis cuilibet patebit.*

§. II.

Aequitas naturalis postulat, vt quemlibet tam diu bonum habeamus virum, donec aliae concurrant rationes, quae contrarium doceant. Sed dolus cum idea boni viri pugnat. c) Ergo et doli tam diu suspicio absit, donec eiusmodi quid adpareat, ex quo ille colligi possit.

Eandem praesumptionem non modo, vt ICTI aiunt, hominis esse, sed etiam in ipsis legibus esse fundatam, ac proinde praesumptionem iuris constituere, testatur MENOCH d) vt et lex 6. Cod. de dolo malo.

§. III.

Delicti veri perpetratio est actio dolosa (§. 1.) Dolus vero tam diu praesumi nequit, donec ex aliis rationibus eluceat. (§. 2. et Schol.) Ergo et delictum verum nulla ratione praesumi potest, nisi eiusmodi detegantur indicia, ex quibus illud arguere liceat.

Hanc

c) MENOCH in *Tractat. de Praef. Lib. V. Praef. III. nr. 15.*
 d) *Lib. V. Praef. III. nr. 14. 15. 16. 17. 18. aliisque in locis.*

Hanc conclusionem aequae ac illam praecedentis §phi, ad praesumptiones, quae iuris sunt, referendam esse, MENOCHIVS^{e)} aliique docent.

§. IV.

Periurium dolosum est, quando quis falsum iureiurando, cuius naturam perspicit, sciens volensque corroborat.

§. V.

Periurium dolosum esse factum legibus humanis poenam minitantibus contrarium, nemo in dubium vocat. Sed omne factum, quod ita comparatum est, delictis veris accenseri oportet. (§. 1.) Ergo et periurium dolosum de nemine potest praesumi, tam diu scilicet, donec eiusmodi conditionis exhibeantur indicia, quae contrarii praesumptionem satis innuant. (§. 3. et Schol.)

Atque hic velim notes, si in sequentibus dixerō, periurium dolosum non praesumi, semper accessionem, quam modo posui, esse intelligendam. Deinde etiam illud mihi monendum est, me in hoc §pho non de quolibet periurio, sed de illo, quod fit in iudicio coram iudice, loqui. Hinc de illo, quod in foro non committitur, mihi iam sermo non est.

§. VI.

Si in eo, qui iusiurandum relatum praestat, malam, intuitu causae in quam iurandum ipsi est, praesumere velles conscientiam, praesumere et in eo deberes, illum aut naturam et conditionem periurii ignorare, aut periurium dolosum esse commissurum. Sed prius praesumi nequit. Praeterea enim, quod illa iurandi et periurii natura in scholis aequae ac ex suggestibus sacris inculcatur; ea quoque in iudiciis, antequam aliquis ad iusiurandum admittitur, a iudice explicanda est. Posterius vero, quo minus praesumas, ob-

stant

e) *Lib. V. Praef. XIX. num. 1. seqq.*

stant ea, quae in §. 5. probaui, scil. periurium dolum non posse praesumi. Ut igitur de eo, qui iusiurandum relatum praestat, praesumas, eum hoc salua conscientia praestare posse, necessarium est.

Eum, quem praesumatur, salua conscientia esse iuratum, praesumendum etiam esse, credere, causae controuersae veritatem a sua, non vero a parte alterius stare, res ipsa loquitur.

§. VII.

Qui iusiurandum relatum in se suscipit, praesumendus est, bona cum conscientia illud iurare posse. (§. praeced.) Quilibet vero, qui relatum praestat, illud vt ante referenti detulerit, necesse est. Ergo cum huic defert, aut id hac delatione consequi studuit, vt alter *cederet*; aut *referret*; aut *probationibus conscientiam liberaret*; aut *delatum acceptaret*. f). Si *primum* ponitur, ponere etiam debes, deferentem adhibuisse iusiurandum ceu remedium alterum coercendi, vt id concederet, quod in deferentis est animo. Cum vero deferens tibi ius competere credit (§. praeced. Schol.) alterum per iusiurandum delatum compellere voluit, vt veritatem diceret, vtque sic iudici de ea constaret. *Secundum* si sumitur, necesse est, vt ipse ad iusiurandum id efficere voluerit, vt ipse ad iusiurandum admitteretur. Sed dum causae controuersae veritatem a sua parte stare opinetur (§. praeced. Schol.); eo ipso quoque voluit, vt ad consequendum ius suum iudici de veritate causae controuersae, interueniente iureiurando, fides fieret. Si *tertium* sumitur, (scil. deferentem voluisse, vt alter id probaret quod est

B in

f) Vid. b. SCHAUMBURG. Compend. iur. Digest. Lib. XII, Tit. II.

s. XIX

Adde Leg. 9. Cod. de rebus creditis et Iursiur.

in iureiurando): patet, eum iurisiurandi delatione idcirco vsum esse, vt veritas elucesceret. Quodsi denique *quartum* assumas, (scil. vt delatum acceptaret), assumere etiam debes, deferentem voluisse, vt alter litigantium, cuius causam iniustam habet, (§. praeced. Schol.) hanc iureiurando confirmaret; atque adeo id egisse, vt periurium ille committeret.* Sed qui dolose agens causa est, vt periurium aliquis fiat, idem ipse periurii reum se facit. g) Quemadmodum vero omnis praesumptio dolum atque delictum excludit (§. 2. et 3.); ita quoque neutrum de eo, qui iusiurandum relatum praestat, praesumi potest. Ex quo consequitur, vt de eo, qui iusiurandum relatum in se suscipit, praesumendum sit, eum referenti idcirco detulisse iusiurandum, vt per illud iudici de veritate causae controuersae fides fieret.

* Quaeris fortasse, an fieri omnino possit, vt deferens causae controuersae veritatem a sua parte stare opinetur, et tamen iurisiurandi delatione non ad id vtatur, vt iudici de hac veritate constet; sed potius ideo, vt alter peieret. Equidem facile largior, id rarius accidere, sed tum tamen posse contingere arbitror, si causa, de qua litigatur, non adeo magni momenti, et deferens alterius litigantis sit inimicus et homo improbus, qui omnem illi nocendi arripiat occasionem, vt ei, quoniam eius avaritiam nouerit, iusiurandum eo fine deferat, vt ille fortassis spe lucri capiatur, illudque acceptet, sicque periurium committat; quo obtento eum per alia probandi media, de periurio conuincat, et ita eundem grauissimae poenae in periurium statutae subiiciat.

§. VIII.

Iusiurandum relatum iurans est praesumendus
refe-

g) Conferas III. ENGAV in Elem. Iur. Crim. Tit. XL. §. CCCCLXXII. Vbi criminis periurii reorum sociis eos accenset, qui, vt falsum iuret, dolo fecerunt.

referenti iusiurandum ideo detulisse, vt ita de veritate causae controuersae iudici constaret. (§. praeced.) Dum igitur hac praesumptione munitus est; opposita in eum cadere nequit. Quod si vero illum praesumere velles, referenti iusiurandum ex malitia detulisse: oppositam in eum cadere praesumptionem statuere deberes. Quae cum ita sint, consequitur, vt iusiurandum relatum in se suscipiens, non possit praesumi, referenti illud ex malitia detulisse; atque adeo a malitiae suspicione delationis intuitu dicendus sit immunis.

§. IX.

Nemo eorum, in quo malitiae suspicio cessat, ad iusiurandum malitiae in se suscipiendum adigi potest. *b)* Sed iusiurandum relatum, qui praestat, a malitiae suspicione delationis intuitu liber atque immunis est (§. praeced.). Ac proinde luce meridiana clarius adparet, eum, qui iusiurandum principale relatum praestat, adigi non posse, vt simul iusiurandum calumniae iuret.

§. X.

Haecenus probaui, iusiurandum calumniae, ab eo, qui principale relatum praestat, exigi non posse, nisi in eo periurii enascatur suspicio. Iam vero quaestio oritur, vtrum tunc ab illo sacramentum postulari possit calumniae, si periurii suspicione (scil. intuitu

B 2 iuris-

b) Vid. b. SCHAUMBURGIVM in Compend. Iur. Digest. Lib. XII. Tir. II. §. 25. MENOCH. Tract. de Praesumpt. Lib. I. Quaest. LXXXV. ANTON. del RE in Tract. de Iureiurando Calumn. Cap. III. num. 19. Cap. XV. num. 43. et Cap. XVIII. num. 18 19. et 57. Vbi dicit, filium litigantem contra partem, non teneri iurare de calumnia, quia in illo calumniae praesumptio cessaret. Et SVENDENDOERFER Process. Fibig. pag. 1338. Vbi ait: heredes iuramentum deferentes de calumnia iurare non teneri, cum in illis ob probabilem ignorantiam calumniae praesumptio cessaret.

iurisiurandi principalis relati) prematur? Et fane id ita videri posset. Sed ego ne tum quidem fieri hoc posse existimo. Atque huius sententiae veritas tum patebit, cum generatim monstrauero, iurisiurandi calumniae religionem, si ab eo exigatur, qui iusiurandum relatum praestat, esse superuacaneam. Cuius rei probationem ita velim accipias.

Finis iurisiurandi malitiae, quod iusiurandum deferentibus leges iniungunt, est, ut eorum in deferendo compescatur calumnia. * Sed qui relatum iusiurandum praestat, illud vel *salua conscientia* praestare potest, vel *non*. Si prius ponitur, ratio, cur referenti antea detulerit iusiurandum, fuit, vel ut *de veritate causae controuersae iudici fides fieret* vel *non*. Sed, *illud si ponis*, nemo negabit, deferentem delatione iurisiurandi recte et legitime usum esse. Ergo non calumniose delulit. Vbi vero in deferente calumnia cessat, superfluum fane est, ut ea per sacramentum calumniae compescatur. Si vero *alterum* assumas, (scil. deferentem bona cum conscientia relatum praestare posse, nec tamen ea ex ratione detulisse, ut iudici de veritate causae controuersae constaret) assumere etiam debet, deferentem alteri eo detulisse animo, ut periurium committeret. (§.7.) Ergo sciens volensque periurii participem se facit. Qui vero ita a pietate aduersus deum alienus est; ut hoc facere religioni sibi non ducat; is quoque ipse pro re nata peierabit. Iam vero alter deferenti delatum retulit. (per hyp.) Ergo deferens aut relatum vna cum sacramento calumniae praestare, aut hoc si renuat, referenti in causa victoriam relinquere debet. *i*) Sed deferentis dictis sub circumstantiis

i) *auth. principales §. 5. C. De Iurciu. propter calum.*
GAIL. *Lib. 1. Off. 86. seqq.*

tiis considerati, dum detulit alteri iusiurandum, finis fuit, vt ei noceret. (per praeced. et §. 7*.) Ergo non voluit, vt delatio haec referenti expediret, quod vero futurum esset, si iusiurandum calumniae detrectaret (per praeced.). Itaque hisce sub circumstantiis calumniae sacramentum, si ab eo exigatur, vix recusabit. Igitur hoc casu illud definit esse remedium, quo deferentis in deferendo calumnia compescatur. Si denique *posterius* ponitur, (scil. si iusiurandum relatum in se suscipiens illud salua conscientia iurare non possit) perspectu difficile haud est, eum victoriam in causa obtinere velle, atque propterea, periurium vt committeret, secum constituisse. Cuius vero nequitia et improbus animus eo progrediuntur, vt principale iusiurandum mala fide et conscientia iuret; is quoque et calumniae sacramentum, si ab eo simul exigatur, quin iuret, nullus dubitabit, probe gnarus, se alias finem, quem sibi proposuerat (scil. causae victoriam) vix esse consequiturum. Itaque et hoc casu iusiurandum malitiae nullum erit remedium deferentis compescendi calumniam. Iam data sub hypothese plures partes possibiles cogitari nequeunt. Remotis itaque illis per inductionem, colligere licebit; data sub hypothese iusiurandum calumniae ad finem, cuius consequendi causa introductum est, nihil plane conferre. Quam ob rem, quum omne illud, quod ad finem obtinendum nihil facit, frustraneum adpellare soleamus; nemo dubitabit, quin posita illa hypothese (scilicet si iusiurandum malitiae ab eo exigatur, qui relatum praestandum suscipit), eius religio frustranea sit ac nullius plane vsus. In eadem sententia est, ICtus magnae auctoritatis celeberrimus BERGER in *Oeconomia Iuris*, k) cuius verba haec sunt: *quamquam*

B 3

pa-

k) pag. 1137. §. 8. nr. 2. Edit. IV.

parum abest, quin existimem, iusiurandum calumniae frustra iurari ab eo, cui principale refertur, quum idem illud iureiurando principali eoque relato contineatur. Quam BERGERI opinionem, si scilicet rem in se spectemus, fundamento non destitui, praesenti hoc specimine monstrare conatus sum.

* Plures quidem ANTONIVS del RE 1) recenset fines iusiurandi calumniae intermedios, seu vt ille dicit, caussas non vltimas inducendi sacramentum calumniae, ad finem vltimatum, qui publica est vtilitas, consequendum, multiplices esse. Quas breuiter nunc adferam. Primam esse dicit, vt veritas elucescat, et non occultetur. 2) Vt timore talis sacramentum litium ambages compescantur. 3) Vt litigantium contentiosa instantia et calumnia compescatur. 4) Vt ne quis timore talis sacramentum sit immemor salutis aeternae. 5) Vt euitentur fraudes, quam tamen vltimam cum prima coincidere ipse confitetur. Sed quis quaeso non videt, hos quinque fines omnes eo redire, vt timore huius sacramentum litigantium, eorumue, qui his auxilium praebent, compescatur calumnia, atque hoc si iureiurando calumniae obtineri nequeat, reliquos omnes per se corruere. Hinc non est, quod iusiurandi calumniae fines multiplicemus.

Haec sunt, quae de quaestione illa pro virum mearum imbecillitate differere volui. Iam ad TE reuertor, VIR PRAENOBILISSIME, TIBIQUE nomine eorum, quibuscum sub PRAECLARISSIMI BLASCHII moderamine tanto cum ardore ac felici successu ad elegantiores

1) Vid. eius Tract. De Iureiurando Calumniae Cap. IV. nr. 6. 7. 8. 9. 10.

tiores incubuisti litteras, cum de singulari eruditione TUA tot vigiliis parta, tum de collata in TE ob id ipsum dignitate gratulor. Gratulor honoratissimis PARENTIBVS TVIS de FILIO tam erudito tamque bene morato, qui eorum spem omnino expleuit. Gratulor etiam iis, in quos TIBI data est iurisdicundi potestas de iudice omnibus iis dotibus ac virtutibus, quas leges requirunt, instructo, quippe qui certissimam spem facis, fore, vt in componendis ac discutendis litibus praeclaris VENERANDI PATRIS vestigiis, cui iam in officio hoc succedis, insistas, eique simillimus euadas. Benignissimum igitur numen, quod omnia sempiterno imperio summaque clementia regit, supplex adoro, vt TVVM ad rempublicam accessum fortunet, vt rebus praeclare prospereque susceptis similes respondeant euentus. Et vt paucis multa completar, TE omnium eorum bonorum reddat participem, quae ad bene beateque viuendum aliquid conferre possunt. Quod reliquum est, TE etiam atque etiam rogo, vt eorum, quibus hucusque et societatis et amoris vinculo coniunctus fuisti, et in posterum quoque fauere ne desinas. Vale! Scribebam Ienae, mense Mai. a. r. f. clō Io cc LIIII.



- IO. GEORG. HAMBERGER, Ienenfis, LL. C.
IO. FRIDERICVS FALCKE, Ienenfis, LL. SS. C.
HIERON. ERN. HINTZ, Hamburgenis, LL. SS. C.
IO. GOTTFR. HAHN, Hannoueranus, LL. C.
IACOBVS SALAMO KRAVS, Roemhild. LL. SS. C.
CRIST. HENR. PAVLSEN, Ienenfis, LL. C.
IO. HENR. HEVSE, Hamburgenis, LL. C.
CHRISTOPH. LVDOV. WIDEBVRG, Ienenfis, LL. C.
GOTTFR. WILH. HEVBLER, Geranus, LL. SS. C.
CHRISTOPH WILHELM KELTER, Hamb. LL. SS. C.
IO. GOTTFR. ab EXTER, Bremenfis, M. C.



Jena, Diss, 1754

X 230 9450







Sta. 14. num. 20
10
1754,8

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO
IOANNI ADOLPHO HELLBACHIO

COLLEGAE ILLIVS BONARVM ARTIVM SOCIETATIS
QVAE
SVB VIRI PRAECLARISSIMI
IOANNIS CHRISTIANI BLASCHII

PHILOSOPHIAE MAGISTRI CELEBERRIMI ATQVE SOCIETATVM
TEVTONICAE ET LATINAE IENENSIVM
COLLEGAE HONORARII
AVSPICIO IENAE FLORET DIGNISSIMO

2214

PRAETORIS PROVINCIAE ET ACTVARI
MVNVS CAPESENTI
SODALIVM NOMINE GRATVLATVR
SIMVLQVE QVAESTIONEM

VTRVM
AB ILLO SI REM IN SE SPECTEMVS
QVI IVSIVRANDVM RELATVM SVSCIPIT SIMVL
IVSIVRANDVM CALVMNIAE
SPECIALE SEV MALITIAE EXIGI POSSIT

INSTITVIT
IOANNES ADOLPHVS FALCKE
IENENS. I. V. C.

I E N A E

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS, clb 10 cc LIII.

